

sphærarum. Saturni carpentum in ascendente effecit illum mœstum & taciturnum, (r) adeò, ut Josephus eum sæpius flevisse, risisse verò nunquam, dicat. Saturnus cum Venere faciebat eum in facie maculosum. (u) Incolumitas corporis & pulchritudo dependebat à trigona radiatione Saturni & Veneris ad ipsum Horoscopum; Paupertas vero ejus (x) à parte fortunæ, sub terra in finibus Saturni infestata. A Lunæ & Martis in Occidentis angulo positi proveniebant perpetuæ quasi ejus peregrinationes. Lunæ Plejadibus propinquæ attribuebat populorum tumultus, & non absque contradictione & periculo. (y) Saturnus retrogradus in nona domo indicavit studium evertendæ legis, in qua natus erat. (z) Denique conjunctio capitum in ascendente & descendente, significavit in initio, maxime verò in fine seculi observandam legem justitiæ. (a) Hactenus Cardanus, qui in eo totus est, ut dictis suis fidem ac patrocinium conciliet. Sed ne diffusiore recensione hora crescat in diem, Astrophilum ad proœmium istud, quod Commentario suo de judiciis astrorum præmisit, hac vice remittimus. Tribus interim adhuc verbis notari merentur, quæ in ipso commentario monet, nimirum se non videre, in quonam circa genesin Christi rimatam damnandus sit. Nam si omnia superiùs dicta à Deo, & non ab astris profecta fuissent, quorsum erat lentiginosum, mœstum, pauperem creari? Tandem ut sacrilegam hanc suam doctrinam, (b) & impietatem nefariam, post homines natos inauditam, cui, tum temporis saniores quidam maledicere cœperant, ulterius defenderet, præfixit paulo post huic commentario suo in Ptolomæum de astrorum judiciis (c) ad pium Lectorem præloquium, in quo suum institutum de Christi Horoscopo consignato, contra adversarios, qui ipsi hinc inde blaterones, viri in re non bene perspectâ ineptissimi, iudices iniquissimi, audacissimi, petulantissimi, calumniatores & nugatores audiunt, frivolis & ridiculis probare vult rationibus, quas tamen ob earum prolixitatem silentio potius involvimus, quam ut fastidiosâ recensione L. B. aures ulterius obtundamus. Quod superest, nos hac vice controversiæ,

(r) *At Spiritus tristis exsiccat ossa; Judæis igitur atate grandior videbatur, qui eum jam annum quadragesimum excessisse existimabant, cum dixerint: nondum quinquaginta annos habes, & Abraham vidisti. Joh. cap. VIII. v. 57.*
 (u) *Pro teste adducit Josephum, qui eum in facie lentiginosum dixerat. (x) Quo refert illud: Filius hominis non habet, ubi reclinet caput suum. Matth. v. VIII. v. 20. (y) Unde illud Simeonis in Evangelio: Hic est positus in signum, cui contradicetur. Luc. II. v. 34. (z) Nemo autem Legem evertit, nisi qui novam condere vult. (a) Hinc est quod dixit: cum venerit Filius Hominis, putasne fidem inventurum in terra? Luca XVIII. v. 8. (b) Sic audit Jul. Cas. Vanino in Amphitheatro Provid. Div. Exerc. 8. p. 57. (c) Intellege edit. Basileens. qua anno 1558 & 1578 in fol. prodierunt.*